

perina, Therebinthina, Bacc. Cynosbat. s.m. Dauci, Lap. Judaius,  
sal succini &c. quæ & in præservatione non minorem habent usum; sed  
qui de his plura desiderat, Practicos audeat, & inveniet cumulum  
plurimorum medicamentorum. Si in Articulis & Ossibus Tumores  
lapidescentes quasi, ut Tophi & Nodi deprehendantur, interne  
jam commendata non sine successu evideat exhibentur, sed non-  
dum dissolvunt, nec ulla speranda ex voto emollitio, quanquam  
ab impositis mercurialibus non levis quandoque notetur effectus,  
& Barbette in Prax. Chirurg. part. 3. lib. 5. cap. 3. Emplastra etiam è  
Gummatis, Antimonio, succis, non omisso tamen Mercurio,  
præparata, laudet. Exacta autem Curatio pro loci & circumstan-  
iarum ratione haud obtinebitur, nisi sponte excidant, ut in Podagri-  
cis quandoque notatur, aut per manus Chirurgicas si excindantur.

## §. 26.

Sed postulabit adhuc Necessitas, ut unumquodque sympto-  
ma morbo conjunctum probe perspectum habeamus; non raro  
quippe Salia in partibus affectis prædominantur, hinc illa corri-  
genda per diluentia superius commendata, & dissolventia, ubi  
Antiscorbutica omnem ferè Operam facient, Si verò Salia acida  
magis sint, præcipitantia, & absorbentia, ex gr. Ocul. Canc. alcobolis.  
C. C. igne, C. C. usum, Mater perlarum, Limatura Chalybis crud. al-  
cobolis. & alia, Salia præterea Volatilia oleosa, item Essentia Castorei cum  
sp. salis Ammoniaci parata, (quæ magni quoque usus in affectibus  
nervorum est,) myrrhata Opiatis maritata, camphorata &c con-  
ducunt.

## §. 27.

Qvoad Externa, Balnea, fontes medicati & Thermæ, tum  
naturales, tum artificiales (de quibus Excell. Major peculiarem  
conscriptis Dissertationem,) ægrotis haud dissuadenda, siquidem  
ratione virtutis resolventis, non tamen Medicamentorum neglecto  
usu, plurimum valent. Affectus autem cutanei per Unguenta,  
linimenta & emplastra, in quibus gumata resolventia basin habent,  
tolluntur, ita, ut in Callis, Tumoribus Scirrhosis & Caseosis  
non sint contemnenda; in Abscessibus & Ulceribus præter Consilia  
Medica, si Chirurgi advocentur, discutientia, emollientia &  
suppurantia negotium præstant suum,

## §. 27.